



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

[4]1. De sedata maris tempestate.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

## MEDITATIO XLI.

*De sedata maris tempestate.*

I. **I**N illa die, cum serò esset factum, ait illis: Transeamus contrà. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi: & aliæ naves erant cum illo. *Marc. 4. v. 35 & 36.* Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. *Matth. 8. v. 23.* Et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. *Luc. 8. v. 22.*

II. Et navigantibus illis, obdormiuit. *Luc. 8. v. 23.* Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. *Matth. 8. v. 24.* Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. *Marc. 4. v. 37.* Descendit procella venti in stagnū, & complebantur, & periclitabantur. *Luc. 8. v. 23.* Ipse verò dormiebat. *Matth. 8. v. 24.* Erat ipse in puppi super cervical dormiens. *Marc. 4. v. 38.*

III. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. *Matth. 8. v. 25.* Præceptor, perimus. *Luc. 8. v. 24.* Magister, non ad te pertinet, quia perimus? *Marc. 4. v. 38.* Tunc surgens, imperavit ventis & mari.

mari. *Matth. 8. v. 26.* At ille surgens, increpavit ventum & tempestatem aquæ. *Luc. 8. v. 24.* Exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus. *Marc. 4. v. 39.* Et facta est tranquillitas magna. *Matth. 8. v. 26. Marc. 4. v. 39. Luc. 8. v. 24.*

IV. Et dicit eis IESUS: Quid timidi estis, modicæ fidei? *Matth. 8. v. 26.* Nec dum habetis fidem? *Marc. 4. v. 40.* Vbi est fides vestra? *Luc. 8. v. 25.* Porrò homines mirati sunt, *Matth. 8. v. 27.* & timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia & ventus & mare obediunt ei? *Marc. 4. v. 40.* Timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis, putas, hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei? *Luc. 8. v. 25.* Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. *Luc. 8. v. 26.*

## MEDITATIO XLII.

### *De vocatione Matthæi.*

I. IESUS egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, *Marc. 2. v. 13. & 14.*

Vi-